



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SACRA ILLA PAROECIALIS** TEMPLUM DEI DICATUM IN  
HONOREM SANCTAE MAGDALENAE,  
IN ARCHIDIOECESIS OVETENSIS URBE VULGO «CANGAS DEL NARCEA»  
APPELLATA, AD BASILICAE MINORIS GRADUM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Sacra illa paroecialis  
aedes quae, Sanctae Mariae Magdalena dicata, in Ovetensis archidioecesis urbe vulgo «Cangas del Narcea» exstat,  
ob structurae genus et momentum historicum, at potissimum ob religionis cultum praeclara est in tota Asturiae regione.  
Christifideles illius provinciae sacram Sanctae Mariae Magdalena imaginem hac in ecclesia collocatam per saeculorum  
decursum peculiari veneratione prosecuti sunt, caelestium gratiarum copiam precantes sibi suisque. Qua animarum  
utilitate permotus, Venerabilis Frater Gabinus Diaz Merchan, Archiepiscopus Ovetensis, cleri populique vota et preces  
interpretatus, petiit ut templum supra memoratum ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur. Cui petitioni libenti animo  
obsecundantes, Nos, e Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu deque Apostolicae  
potestatis Nostrae plenitudine, harum Litterarum vi, statuimus, ut sacra aedes quam diximus, Deo consecrata in honorem  
Sanctae Mariae Magdalena, ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehat, omnibus adiectis iuribus et privilegiis,  
quae templis hoc nomine insignibus rite competit. Mandamus praeterea ut ea serventur quae, secundum Decretum  
«De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis  
non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Novembris, anno MCMXII,*  
*Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO  
Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

---